



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pia Desideria

Hugo, Hermann

Mediolani, 1634

I. Adiuro vos filiæ Ierusalem si inueneritis Dilectum meum, vt nuncietis ei,
quia amore languo. Cant. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43734



*Adiuvo vos, filiæ Hierusalem si inueneritis
 dilectum meum ut nuncietis ei, quia amore
 languedo. Cantic. 3.*

Blayou. Soc.

I.

Adiuro vos, filia Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nunciatis ei: quia amore languo. *Cant. 5.*

CO Elestes anima, Solyma caelestis alumna,
 Qua teritis niueo cerula templa pede;
 Vos ego, vos numquam violando carmine testor.
 (Si meus est vobis forte repertus arzor)
 Dicite, quod caeca, sic eius languo flamma,
 Languet vt Assyrio flosculus vstus agro.
 Nempe suas nuper cum spargeret ille sagittas,
 Delituit proprijs mistus arundinibus:
 Et summa trifidi praefixus cuspidis teli,
 Cor mihi, ceu Parthi, canna redunca fidit.
 Ah quibus, ah quantis tum pectus amoribus arsit
 Non fuit Aetnao senior igne rogas.
 Nunc igitur cupidus de me si plura rogabit,
 (Namque solent cupidi multa rogare proci)
 Dicite, languentis qua sit mea visa figura;
 Pluraque, languentem non potuisse loqui,
 Si roget; an lento mihi febris inestuet igne?
 Dicite, quod nullo febris ab igne coquar.

M s Si

Si roget, an mortis propior sim visa periclo?
 Dicite quæ vobis, ore tacente, loquor.
 Dicite, nulla meis vos reddere nuncia verbis,
 Sed fati tantum reddere verba mei.
 Si lubeat nostros tamen illi noscere vultus,
 Nec graue sit vobis dicere, qualis eram:
 Hac precor, aut simili, tum me depingite forma,
 Qua sciat & morbi quæ sit origo mei.
 Dicite, quod iaceam tenebris ex sanguis abortis,
 Succiduo in nudum corpore lapsa solum.
 Sintque hebetes oculi, media ceu morte natantes,
 Inque sinu iaceat languida facta manus:
 Nec rosa picta genis, neque viua corallia labris,
 Venaque vix, quamquis pollice tacta, micet:
 Iamque diu nullo constet me viuere signo,
 Quam quod anhelanti pectore sæpè gemam.
 Quodque mihi certam non possim fingere causam,
 Cur toties nullo laesa dolore querar:
 Non possim, nisi fors gemitu se prodere cogat
 Qui gemitum toties pectore rupit Amor.
 Hæc reor, hæc nostri fuit vnica causa doloris,
 Et quid Amans esset nescij, amansque fui.
 Hoc fuit, hoc toties me suspirare coegit,
 Per gremium iniussa cum flueretis aqua.
 Hoc fuit, ut, quamuis toties aliena loquentis
 Illius

Illius assidue nomen in ore foret.
Ergo meis, oro, Dilecto hæc dicite verbis;
Illius immodica quod cremor agra face:
Dicite, quod lento sic torreo illius igne,
Vt rosa cœlesti torrida facta cane,
Dicite quod longa sic eius languet flamma,
Vt languent sicca lilia cana coma.
Dicite quodq; mei causa vnica sit languoris,
(Qui simul est mortis causa futurus) Amor.

RVPERTVS.

In Cant.

A *Nunciate, quia amore languet. præ ma-*
gno faciei eius videndæ desiderio; vitæ
tædium patior, & vix præsentis exilij moras su-
stineo.